



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Sacramentis In Genere Ac De Sacramentalibus Nec Non De Sacramentis Baptismi, Confirmationis, atque Extremæ Unctionis Decisiones

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio LXXI. Argumentum. Dissertitur de propriis Ministris Sacramenti Extremæ Unctionis, videlicèt de Episcopis erga omnes de eorum Diœcesi. De prima Dignitate Ecclesiæ Cathedralis versùs suum ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94638)

Tertius casus pluralitatis Ministrorum est, si plures Sacerdotes ita convenient in danda Extrema Unctione uni infirmo, ut unus unum organum ungat, alius eodem tempore ungat aliud, alter alterum; & quilibet suam recitet formam. In hoc casu eos illicite agere manifestum est ex suprascripto Canone Concilii Tridentini, & ex concordia sententia omnium DD. Supracitatorum n. 37. & præcipue Suarezii d. disp. 43. sect. 2. num. 8. Mastrii in 4. Sent. d. disp. 6. num. 138. Et Emin. Card. de Lauræa d. disp. 11. num. 114. Porro an valide agant? & an verum consiciant Sacramentum? valde dubitabile, & disputabile est in Scholis. Videtur dicendum, eos invalide agere, ac Sacramentum non consicere; ea ratione, quia hi plures Ministri diversa organa sensuum ungentes nihil faciunt. Quod nihil faciant, arguitur ex ea opinione Theologorum, quod effectus Sacramenti Extremæ Unctionis habeatur tantummodo in ultima Unctione, prout tenent DD. allegati à Mastrii d. disp. 6. num. 92. ubi fundamentum talis opinionis ponitur, scilicet, quia nullum Sacramentum suum causat effectum, nisi quando essentialiter est completum: atqui Extrema Unctio non completur nisi in quinta Unctione: Ergo Sacerdotes, qui præcedentes faciunt unctiones, nihil agunt. Item secundum aliam opinionem Scholasticorum, quod omnis Unctio producat statim suum partialem effectum Sacramenti, qui postea completur in ultima; adhuc hi plures Ministri nihil agunt, quia ad producendum dictum partialem effectum, & ad eum complendum in ultima Unctione necessaria est intentio Ministri, quæ dirigat Unctiones præcedentes ad ultimam, itaut inter se tanquam partes Sacramenti sint moraliter unitæ ad constituendum in ultima unum Sacramentum. At talis intentio Unitatis non videtur possibilis in pluribus Ministris, qui omnes dirigunt suam intentionem ad proprias Unctiones. Ergo invalide operantur. Ita arguendo differit Mastrius d. disp. 6. num. 137. & Eminentiss. Cardini. de Lauræa d. disp. 11. n. 122. & 123.

Nihilominus communis est responsio Scholasticorum ad dictum casum, quod validum remanet Sacramentum, quia sive qualibet unctio producat statim suum effectum Sacramentalem, sive ex eis nullus habeatur effectus Sacramenti, nisi in ultima, omnes tamen Unctiones sunt partes Sacramenti, ipsum inchoantes per suam propriam materiam, & formam cum relatione ad ultimam completivam Sacramenti, & omnes simul factæ producant complementum, & unitatem Sacramenti, cui non officit pluralitas Ministrorum exemplo Eucharistiæ, quam plures consecrant, vel simul, vel successive, si Sacerdos moreretur ante consecrationem Calicis, post consecratam Hostiam; & exemplo Ordinis, si primo Episcopo deficiente post datam facultatem consecrandi, alius compleret Ordinem dando potestatem absolvendi: sufficit enim virtualis intentio horum plurium Ministrorum consiciendi unicum Sacramentum; ut latissime disputando comprobant Suarez d. disp. 43. Sect. 2. à n. 4. & seqq. Diana Coordinatus tom. 2. tract. 4. resol. 21. & 22. in quibus DD. cumulat. Volpi d. resol. 78. num. 10. subdens quod Ministrorum pluralitas non tollit unitatem Sacramenti, quia instrumentaliter tantum operantur; mutatio autem malleorum non tollit unitatem operationis fabri. Mastrius d. disp. 6. à num. 133. usque ad

num. 137. Eminent. Card. de Lauræa d. disp. 11. à num. 114. & à num. 125. novissime prælaudatus Canonista Pignatellus in cir. tom. 8. consult. 84. num. 26. & 27.

Quartus tandem casus, in quo disputatur de pluralitate Ministrorum in hoc Sacramento est, quando unus ungat unum organum, & recitet formam, deinde alius successive ungat aliud organum recitando propriam pariter formam, & sic de tribus, quatuor, vel pluribus ministris. In hoc casu, eos valide agere concedunt omnes Doctores ex rationibus supra allegatis; non autem licite, nisi in illis duobus casibus necessitatis, quos explicavimus supra num. 12. videlicet si Sacerdos incepta ministracione Olei Sancti moreretur, antequam omnes Unctiones perficeret; vel si manifestus esset transitus, infirmi ad aliam vitam, & à pluribus Sacerdotibus celeri manu plura organa cum suis formis Oleo Sacro signarentur; quamvis magis laudabile foret, ut ab uno, & eodem Sacerdote omnes sensus velociter ungerentur sub unica forma eos omnes exprimente, ex Resol. 13. 21. & 22. Diana Coordinati in tom. 1. tract. 4. & ex monitione Gobati in Theol. Experim. tract. 8. num. 877.

DECISIO LXXI.

ARGUMENTUM.

Differitur de propriis Ministris Sacramenti Extremæ Unctionis, videlicet de Episcopis erga omnes de eorum Diocesi. De prima Dignitate Ecclesiæ Cathedralis versus suum Episcopum. De Parochis erga suos Parochianos. Et de Regularibus tum Prælati respectu suorum subditorum, tum Depuratis ad Sacramenta ministranda degentibus in Monasterio; tum etiam de aliis Regularibus, qui vocati essent ab infirmis extra claustra. Disputatur celeberrima Quæstio, an Parochi tempore Pestis teneantur ungere infirmos Oleo Sancto cum propriæ vitæ periculo? Nec non quibus Laicis Regulares possint dare Extremam Unctionem virtute suorum Privilegiorum?

SUMMARIUM.

- 1 Ministrorum Extremæ Unctionis genera quinque.
- 2 Episcopus Parochus est Parochorum, & in sua Diocesi Sacramenta potest ministrare.
- 3 Episcopus dare potest Extremam Unctionem infirmis. Imò aliquando debet. num. 4. & 22.
- 4 Exempla infirmorum Oleo Sancto unctorum ab Episcopis.
- 5 Georgii Cornelii Senioris Episcopi Patavini charitas in danda Unctione Extrema infirmo de nocte, loco Parochi.
- 6 Capituli prima Dignitati competit dare Extremam Unctionem Episcopo.
- 7 Sacrum Viaticum dare, atque Extremam Unctionem spectat ad eundem Ministrum.
- 8 Unctio Extrema olim dabatur prius, deinde Sacrum Viaticum.

9 Exem.

- 9 *Exempla Episcoporum extremè inunctorum à suis Canonicis.*
- 10 *Parochiale officium est dare Extremam Unctionem, Sacrum Viaticum, & supulturam.*
- 11 *Parochus tenetur dare Extremam Unctionem de justitia, & sub pœna mortalis peccati suis Parochianis graviter agrotantibus.*
- 12 *Parochiale onus laboriosissimum.*
- 13 *Pauli Segnerii libellus Il Parocho istruito, ad cujus instantiam prodit?*
- 14 *Parochi negligentes in Cura puniendi ab Episcopo.*
- 15 *Presbyter antiquitus denotabat Parochum.*
- 16 *Pestis tempore an Parochi teneantur inungere infirmos cum periculo vite? Rationes pro affirmativa n. 17. Pro negativa n. 18.*
- 19 *S. Congr. Cardinales discordes circa Extremam Unctionem à Parochis dandam tempore Pestis, S. Carolo Borromeo requirente.*
- 20 *Distinctio circa obligationem unguendi infirmos à Parocho tempore Pestis.*
- 21 *Extrema Unctio facit de attrito contritum.*
- 22 *Episcopus in defectu Parochi tenetur dare Extremam Unctionem.*
- 23 *Prelati Regulares an sint obligati dare Extremam Unctionem suis subditis?*
- 24 *Regulares dant Unctionem Extremam omnibus degentibus in Monasterio, Familiaribus, Hospitibus, atque Mercenariis.*
- 25 *Bibliophylacium nobilissimum Monasterii S. Juliana de Padua.*
- 26 *Tertiarii, ac Tertiaria à quibus recipiant Extremam Unctionem.*
- 27 *Regulares Presidentes Seminariis, aut Collegiis studiorum an dent Extremam Unctionem alumnis graviter agrotantibus?*
- 28 *Regulares quando possint dare Extremam Unctionem in alienis Parochiis?*

Tertia disputatio, quam citæa Ministrum Sacramenti Extremæ Unctionis faciunt Theologi, est, An quilibet Sacerdos licitè, & validè possit eam agrotantibus ministrare? Reducitur autem hæc disputatio ad quinque genera personarum, videlicet ad Episcopos, ad Primam Dignitatem Capituli, & Parochos, ad Regulares, & ad simplices Sacerdotes, etiam nominatim Excommunicatos, vel degradatos; de quibus omnibus breviter est videndum.

Quo ad Episcopum, extra omnem controversiam est, quod in tota sua Diœcesi licitè, & validè administrat omnia Sacramenta suis Diœcesanis; est enim Parochos Parochorum, & Ordinarius in tota sua Diœcesi, ad quem principaliter pertinet cura omnium animarum ejusdem suæ Diœcesis. *cap. Quicumque. 10. qu. 1. cap. Præcipimus. 12. q. 1. Angelus Verb. Confessio 3. §. 3. Pax Jordanus tom. 1, libr. 3. tit. 3. n. 1. & 2. ubi notat omnes Parochos in civitate, & Diœcesi esse coadjutores Episcopi in cura animarum, & administratione Sacramentorum, ut deducitur ex cap. Inter cætera in fine, ubi Glossa, & DD. De offic. ordin. Et sicut Episcopus potest ubique in sua Diœcesi audire Confessiones Sacramentales, & ministrare Sacramentum Pœnitentiæ, ut dixi De Pœnitentiâ Decis. 39. num. 3. multo magis potest dare Sacramentum Extremæ Unctionis, quod dicitur Pœnitentiæ consummativum. Idem*

Idem Jordanus d. lib. 3. tit. 5. num. 1. & 2. & circa hoc punctum est decisio in terminis in cap. Illud superfluum. dist. 95. ubi Innocentius Papa I. Ita respondit: Illud superfluum videmus adjectum, ut de Episcopo ambigatur, quod Presbyteris licere non dubium est. Nam idcirco de Presbyteris dictum est; quia Episcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non possunt. Ceterum si Episcopus aut potest, aut dignum ducit aliquem à se visitandum, & benedicere, & tangere Chrismate, sine cunctatione potest ejus est ipsum Chrisma conficere. Glossa autem ibi declarat h. Chrismate, idest Oleo, quod notavi supra Decis. 1. num. 2. docens rationem, quare oleum dicatur Chrisma.

Igitur Episcopus pro sui beneplacito potest Sacramentum Extremæ Unctionis suis subditis ministrare ut in terminis probat Ivenim in suo Comentar. Histor. & Dogmat. de Sacram. Extrem. Unct. Dissertat. 7. quest. 6. cap. 2. ubi allegat exemplum Caroli Magni Imperatoris, qui ab Episcopo fuit Sacra Unctione inunctus, & Beatæ Mauræ, quæ patiter Extremam Unctionem accepit à Prudentio Episcopo Tricastino; nam in defectu Parochorum ipse Episcopus obligatus est de justitia dare hoc Sacramentum, ut affirmant DD. citati infra num. 22. Est autem notatu dignum, quod advertit Pax Jordanus d. lib. 3. tit. 5. num. 9. videlicet, quod si aliquando Episcopus vel ob necessitatem; vel ob eminentiam infirmi, aut propter charitatem, vel aliam respectum istud Sacramentum voluerit administrare, debet servare Ritus, & præcepta universaliter præscripta ministris illius in Rituali Romano; nihil enim particulariter præscribitur servandum ab eo diversum ab aliis Ministris, Et hic non est sub oblivione omitendum eximie charitatis exemplum gloriosæ memoriæ Illustrissimi, ac Reverendissimi Georgii Cornelii Episcopi Patavini filii Serenissimi Ducis Reipublicæ Venetiæ Joannis Cornelii, qui anno 1650. cum esset in visitatione Terræ Montaneanæ, hospitans, ac dormiens in domo Archiepresbyterali, audivit media nocte nonnullos janam ejusdem domus pulsantes, cumque nullus responderet, surrexit è lecto piissimus Antistes, aperuit fenestram, & quaesivit, quis esset? Hi, qui pulsabant, dixerunt, se postulare Archiepresbyterum, ut properaret ad dandam Extremam Unctionem cuidam egeno in sua Parochia mori proximo. Episcopus statim vocat unum è capellanis suis, & celeriter induit vestes, & accepto Sacro Oleo processit ad infirmum; (non enim aderat Archiepresbyter, qui relictis cubilibus suis pro commodo Prælati, ac familiarium ejus, ierat dormitum apud suos consanguineos.) Igitur Urbis Patavinæ Pastor consolatus languidum, & in conformitate Divinæ voluntati confortatum Sacramentum Unctionis Extremæ munivit, adstantibus pluribus vicinorum, qui audito Episcopi accessu convenerant, venerantes ejus pietatem, eo magis conspicuam, quò constantiorem in adstantia; non enim voluit Antistes discedere, nisi orto sole, & postquam Archiepresbyter ascitus venerat usque ad exitum illius animæ remansurus. Hæc dicta sint in obsequium prædicti celsissimi Episcopi, à cujus clementia ad minores, & sacros ordines promotus fui, & cui eadem dignum me fecit, ut inservirem, post Doctoratus lauream acceptam, primùm tanquam Promotor Ficalis ejus Episcopalis Curie, deindè ut ejus Auditor, in spiritali regimine

gimine totius Diocesis, & in examinandis Confessariis, multiplici cum munificentia, & benevolentia ipsius signo. Hæc de Episcopis.

Quod ad primam Dignitatem Capituli. Ad hanc spectat tradere Extremæ Unctionis Sacramentum Episcopo morienti, prout etiam Sacrum Viaticum; ut statutum est in Cæremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 38. Bauldry in *Manuali Sacram. Cæremon. part. 1. d. lib. 2. cap. 38.* & Castaldus in *Praxi Cæremon. libr. 1. sect. 10. cap. 12. num. 3.* Neque obstat, quod liber cæremoniale Episcoporum d. cap. 38. nominet primam Dignitatem Capituli tantummodo in administratione Sacri Viatici; ibi: *Tum majori, qua poterit, devotione, & humilitate, Sacrum sumat Viaticum; quod illi deserat prima dignitas comitante Capitulo, & toto Clero Cathedralis Ecclesie in habitu Ecclesiastico, & cum candelis accensis.* Quia dispositio loquens de uno ex his duobus Sacramentis, debet habere locum etiam in alio; siquidem etiam antiquissimis temporibus ad unum, & eundem Sacerdotem spectabat porrigere infirmo Sacrum Viaticum & ministrare Extremam Unctionem; cum hoc solo discrimine, quod antiquitus dabatur prius Extrema Unctio, & post illam Sarca communio per modum Viatici; & notat Menardus in libro Sacramentorum, Sancti Gregorii pag. 334. *Verf. Deinde communicet cum Corpore, & Sanguine Domini.* Ubi sic ait: *Quod valde notandum est, quia olim ungebatur infirmus, antequam sumeret Viaticum corporis, & Sanguinis Domini.* Et allegat decretum Eusebii Papæ apud Burchardum lib. 18. cap. 11. & apud Ivonem lib. 15. cap. 35. quod erat hujusmodi: *Sacerdos impleat omnia sicut supra circa ægrotum penitentem scriptum est, id est, Orationes dicat, & unget eum oleo Sancto, & Eucharistiam ei donet.* Igitur unus, & idem erat minister Unctionis Extremæ, & Sacri Viatici antiquitus; & unus, ac idem esse debet nostris temporibus, qui Episcopo morienti exhibeat Sacrosanctam Eucharistiam, & impertiat Unctionis Extremæ Sacramentum; nempe prima Dignitas de Capitulo Ecclesie Cathedralis.

Confirmatur exemplo S. Henrici Episcopi Lubecensis, de quo Arnoldus, lib. 3. *Hist. Slav. c. 3.* sic scribit: *Confortatus in Domino, convocatis Fratribus id est Canonicis suæ Ecclesie Cathedralis, ut ostensum est supra Decis. X. num. 21.) dicebat, se jam resolvi & accipiens Sancti Olei Unctionem, (utique à prima Dignitate eorumdem Canoniorum) manus ipse porrigebat, pedes extendebat, cum psallentibus psallebat, sumptoque Viatico Dominici Corporis dixit: O Rex gloria veni cum pace.* Concordat id, quod de Sancto Guilelmo Archiepiscopo Bituricensi scribit Surius in ejus Vita die 10. Januarii; videlicet: *Fratribus convocatis (id est Canonicis) Extremæ Unctionis Sacramentum humiliter, ac devotè suscepit.* Et eo percepto etiam Sacrosanctam Eucharistiam sibi porrigi instantissime postulavit. His addere licet exemplum S. Caroli Borromæi Archiepiscopi Mediolanensis, de cujus ultima infirmitate ita loquitur Jo. Petrus Juffanus in ejus vita lib. 7. cap. 12. *Il Padre Adorno avviso incontanente il Cardinale, e le disse con molte lagrime, che era giunta l' hora sua di partirsi da questa vita, che il Signore lo chiamava a se, avvisandolo se voleva il Santissimo Viatico. Rispose, che lo dimandava istantemente; & interrogato, chi lo doveva comunicare, disse, l' Arciprete del Duomo. Questi era Monsignor Giovanni Fontana hora Vescovo di Ferrara, che era all' hora Arcidoc. Clericali Tom. 1. Lib. 1.*

ciprete in in questa Metropolitana. Et statim post acceptum Sacrum Viaticum dedit ei Sacramentum Extremæ Unctionis, ut ibidem subdit idem Auctor; nam ad ministrandum hoc Sacramentum Episcopo morienti de Jure vocanda est prima Dignitas Ecclesie Cathedralis, ut dictum est supra.

Quo ad Parochum; certum est ad eum spectare ex officio administrationem hujus Sacramenti ægrotantibus graviter in sua Parochia; siquidem dare Extremam Unctionem infirmis est Jus Parochiale, prout est dare Sacrum Viaticum, ac sepulturam; ita ut illicitum sit cuicumque alii Sacerdoti absque licentia, aut expressa, aut tacita proprii Parochi ungeri Oleo Sacro infirmos, (excepto gravis necessitatis casu, absente, vel nolente Parocho ministrare absque causa, ut infra dicemus.) Hoc probatur per textum in *Clem. Unica, de Privileg.* in qua excommunicantur Regulares, qui Clericis aut Laicis Sacramentum Unctionis, vel Eucharistiam ministrare, matrimonium solemnizare, non habita super his Parochialibus Presbyteri licentia speciali &c. presumpserint. Ergo ministrare Extremam Unctionem, Sacrum Viaticum, & solemnizare Matrimonia sunt officia propria Parochi, & ad Parochum de jure spectantia. Hinc Rituale Romanum in titulo de *Visitatione, & cura infirmorum* habet hæc verba: *Parochus in primis meminisse debet, non postremas esse muneris sui partes, ægrotantium curam habere.* Hæc autem obligatio curæ habendæ requirit, ut ingravescente infirmitate, præter alia Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ det infirmis etiam illud Unctionis Extremæ, & ideo sub titulo de hoc Sacramento idem Rituale Romanum ait: *habeat igitur Parochus loco nido, & decenter ornato, in vase argenteo diligenter custoditum Sacrum oleum infirmorum &c.*

Disputant autem Scholastici sub qua obligatione Parochus teneatur ministrare hoc Sacramentum suis Parochianis graviter ægrotantibus. Et communis est eorum sententia, illum teneri ex justitia, & sub præcepto obligante ad peccatum mortale, si negligat ministrare Extremam Unctionem tempore opportuno vel per se, vel per alium idoneum Sacerdotem. Ratio est duplex, Una, quia Parochus recipit redditus Parochiæ, & stipendia Parochialia sub hac obligatione ministrandi Sacramenta suis Parochianis. Ergo etiam Extremam Unctionem debet ex justitia eis dare, cum graviter ægrotant, Quod si facere omittat tempore opportuno, peccat contra justitiam, & fit reus peccati mortalis. Altera ratio est, quia Parochus tenetur ex justitia ministrare suis Parochianis non solum Sacramenta necessaria, sed etiam illa, quæ valde profunt eorum saluti, & sunt à Christo instituta tanquam remedia valde proficua fidelibus, & tale est Sacramentum Extremæ Unctionis; ita disserunt Suarez in 3. part. tom. 4. disp. 44. sect. 2. *Salmanticensis de Sacram. in genere tract. 7. cap. 5. punct. 2. num. 7.* Barboza de *Parocho cap. 22. num. 10.* & ibi Possevinus, Bonacina, Layman, & alii idem scribentes. Gobatus de *Extrem. Unct. tract. 8. num. 901.* Mastrius in 4. *Sent. d. disp. 6. num. 139.* nec non in *sua Theol. Moral. disp. 22. num. 50.* Et Eminen. Cardin. de *Lauræa d. disp. 11. num. 131.* Neque valet objectio, quod Extrema Unctio non sit Sacramentum necessitatis; ideoque quo ad illud, prout etiam ad alia remedia utilia tantum animabus, Parochos non esse obligandos sub mortali ad illa petentibus ministranda; aliàs eorum onus

- esset insupportabile, deberent enim incessanter prædicare, catecheses facere, populum non solum ad præcepta servanda, sed etiam ad consilia hortari, & sic nullam requiem haberent. Respondetur enim primò, utique onus Parochiale esse laboriosissimum, & mirandum, tot animarum Rectores otio, & recreationibus indulgere; parùm, aut nihil curando de propria, ac Parochianorum salute. Hos indefinenter increpabat sanctæ memoriæ Eminentiſſ. & Reverendiſſ. D. meus Cardinalis Gregorius Barbadicus, ad cujus instantiam prodiit aureus libellus à P. Paulo Segnerio compositus, cujus titulus *Il Parocho instruito*; quem, utiam, omnes Parochi legerent, ac centies, & millies relegerent. Respondetur, secundò, falsum esse, quòd Parochi teneantur solum ministrare Sacramenta, & media ad salutem necessaria; nam tenentur etiam præbere ea, quæ utilia sunt, juxta præscriptum Ecclesiæ, & quando opportuno tempore petuntur; prout omnes DD. censent de Extrema Unctione. Navarrus in *Man. cap. 24. num. 131.* Victoria in *Summa num. 135.* Suarez d. *disp. 44. sect. 2. n. 1.* Mastrius d. *disp. 6. num. 140.* & in *Theol. Moral. d. disp. 22. num. 94.* Quapropter sicut Parochi negligentés in docendis populis rudimenta fidei sunt graviter ab Episcopo puniendi, ut scribit Charitarius in *Criminalib. Decis. 68. num. 7.* prout etiam quando negligunt ministrare infirmis Sacramenta Eucharistiæ, & Pœnitentiæ, ut docet Diaz in *Praxi cap. 45.* & ibi Salzedo in *additione*, ubi allegat Glossam in *cap. Officium in Verb. Sine confessione. De officio Archipresb. & facit text. in cap. Presbyter. 16. quasi. 6.* & Navarrus *consl. 13. sub. tit. de Pœnis.* Ita etiam sunt severè mulctandi, si negligant ministrare infirmis Sacramentum Extremæ Unctionis, teste Pace Jordano *tom. 1. lib. 3. tit. 5. num. 22. & 23.* ubi cum ostendisset, eos mortaliter peccare, subdit, *Verùm etiam debent ab Episcopo severè puniri, prout generaliter contingit in omnibus Sacramentis, & in cæteris obligationibus Parochialibus; quando culpabiliter ab ipsis Parochis transcurantur. Si enim Officiales in officio delinquentes puniuntur; imò plures eorum prohibentur à tali punitione appellare. l. Nulli. Cod. Quorum appellat. non recipit. Facinac. qu. 101. num. 85. quantum magis debent puniri, qui in re tanti momenti deliquerint?* His ego addo comminationem contra Parochos negligentés in cura Animarum, quam fecerunt antiquitus Canones Apostolici, ut constat in eis *can. 57. aliàs 58.* ubi ita Episcopus, vel Presbyter, qui Cleri, vel populi curam non gerit, & eos pietatem non docet, segregetur; & si in socordia perseveret, deponatur. Et ne studioso Lectori scrupulum faciat illud nomen Presbyter, sciat, quòd in veteribus Ecclesiæ canonibus Parochi simpliciter dicebantur Presbyteri. Legat *cap. Presbyter 2. qu. 5. cap. Omnis Presbyter. d. Consecr. dist. 4. cap. In Dominicis diebus. de Paroch. & ibi Emanuel. Gonzales num. 3.* qui in confirmationem talis denominationis alios Conciliares Canones cumulat. Facit etiam consuetudo plebis nostri temporis, quæ, si quis infirmatur, ait, vocetur Presbyter, id est, Parochus.
- Sed non levis est inter Theologos disputatio, utrum Parochus tempore Pestis teneatur ministrare Sacramentum Extremæ Unctionis Parochianis suis pestiferatis cum periculo propriæ vitæ? Affirmant Gabriel, & Echius, quos citat Suarez de *Extrem. Unct. d. disp. 44. sect. 3. numer. 6.* Sylvius, & Nugnus, quos allegat Diana Coordinatus *tom. 2. tract. 4. resol. 26.* qua in Diana veteri habetur *part. 3. tract. 4. resol. 173.* nec non Claudius Espanceus apud eundem Dianam veterem *part. 8. tract. 1. resol. 21.* quæ transivit in Coordinati operis *tom. 3. tract. 1. resol. 60. num. 16.* quorum rationes sunt sequentes. Prima, eatenus alii Sacerdotes non tenentur cum periculo vitæ Extremam Unctionem ministrare, ut infra *Decis. 12.* demonstrabimus, quia in eis est sola obligatio ex charitate. Sed in Parochis est etiam obligatio justitiæ. Ergo ipsi censentur obligati ministrare. Secunda, quia tacita conventio est inter Parochos, & Parochianos, ut illi recipiant stipendia ab istis ad hoc, ut tempore mortis præbeant ipsis alimenta spiritualia. Ergo non obstante periculo vitæ tenentur Parochi hoc Sacramentum præbere. Tertia, aliàs tempore Pestis totus populus esset destitutus ministris à quibus ex obligatione exigere posset hoc Sacramentum, quòd esset magnum absurdum, & majus totius populi detrimentum. Quarta, quia Parochi de justitia tenentur ministrare Sacramenta suis subditis, quandounque ea petunt. Ergo etiam tempore Pestis, Quinta, (& satis urgens) quia Duces militares in pugna sanguinolenta tenentur vitam suam exponere, ut alios milites juvent. Ergo etiam Duces Spirituales. Et Sexta, quia aliàs sequeretur, quòd non essent obligati Parochi prædicti ministrare tempore pestis Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ; dicendo sufficere contritionem cum voto horum Sacramentorum.
- His tamen non obstantibus contraria Sententia Summistarum, & Theologorum prævalet; docent enim communiter, non teneri Parochos cum periculo eorum vitæ ministrare Extremam Unctionem subditis suis, hoc præcipuo fundamento, quia hoc Sacramentum non est ad salutem necessarium, neque necessitate mediæ, ut Baptismus, & Pœnitentia; neque necessitate præcepti, ut Eucharistia. Hinc inferunt, Parochos non teneri de justitia erga suos Parochianos cum periculo vitæ nisi ad ea, quæ simpliciter sunt necessaria ad salutem; & tale non est Sacramentum Unctionis Extremæ: imò neque ex motivo charitatis in tali casu eos teneri; quia non agitur de postponenda vita temporali pro vita spirituali; sed tantum pro aliquo commodo, aut utilitate tantum. Et equidem Extrema Unctio non datur vita spiritualis infirmo, id est prima gratia; sed removentur impedimenta, ut commodius possit infirmus consequi cœlestem gloriam, ad quam per alia devotionis remedia, & per indulgentias potest celeriter pervenire. Ita Villalobos, Molfelius, Tannerus, & alii, quos citat, & sequitur Diana Coordinatus *d. tom. 2. tract. 4. resol. 26. & 27.* Suarez, *d. disp. 44. sect. 3. num. 20.* Gobatus *tract. 8. num. 902.* Pax Jordanus *tom. 1. lib. 3. tit. 5. numer. 21.* Bissus *Verb. Minister Sacramentorum §. 34.* Barbosa de *Parocho cap. 22. num. 17.* Et Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp. 11. num. 137. & seqq.* Hinc est quòd Anno 1576. cum Pestis Mediolani grassaretur, S. Carolus Archiepiscopus illius Civitatis consuluit Sacram. Congregationem Concilii, ad quorum Sacramentorum ministratiorem essent Parochi obligati versus Parochianos suos Peste infectos? in qua concorditer dictum fuit, obligatos esse ministrare prorsus Sacramenta Baptismi, atque Pœnitentiæ vel per se, vel per alios idoneos Sacerdotes; quòd vero ad Sacramenta Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis Cardinales fuerunt

fuerunt discordes, & delato dubio ad Summum Pontificem Gregorium XIII. nihil voluit super hoc determinare, ut latè refert Fagnanus in *cap. Clericos, numer. 40. De Clericis non residentibus*. & fuit à me dictum occasione Sacri Viatici in meis Decisionibus de Venerabili Eucharistia Sacramento *Decif. 61. num. 26. & 27.* & dicit Diana *Coordinatus eod. tom. 2. tract. 2. resol. 58.*

In hac controversia, quia prima opinio videtur nimis rigorosa; secunda autem censetur nimis laxa; media sententia inter istas est amplectenda cum hac distinctione; videlicet, vel infirmus confessus fuit in illa ultima infirmitate, aut paulò antè; & probabiliter ex statu suo constat, eum postea non peccasse mortaliter; & in tali casu Parochus non tenetur ad exponendum se periculo vitæ, ut ipsi Sacramento Extremæ Unctionis ministret: quia in tali casu probabiliter existimari debet, quòd sit in statu gratiæ, & quòd non sit ipsi necessarium hoc Sacramentum; quamvis enim sit utile, hoc tamen non convincit, ut teneatur Parochus sub mortali, & cum probabili vitæ periculo hoc Sacramentum ministrare. Si vero non sit confessus, aut post confessionem verisimiliter Parochus scit, ipsum infirmum mortaliter peccasse, neque posse amplius confiteri, obloquere deperditum ulum, vel delapsium in phrænesim, & in hoc casu tenetur sub mortali ei ministrare Extremam Unctionem, etiam cum propriæ vitæ periculo; ut dixi in Decisionibus de Venerabili Eucharistia Sacramento *Decif. 61. num. 35.* quia tunc hoc Sacramentum existimatur necessarium illi infirmo; ut mediante eodem Sacramento, si habeat saltem attritionem de peccatis, consequatur remissionem eorundem, & recuperet divinam gratiam, & vitam spiritualem; est enim constans Theologorum doctrina, quòd etiam hoc Sacramentum Extremæ Unctionis, si infirmus confiteri non possit, & sit attritus, habeat virtutem faciendi illum contritum. DD. quos citat, & sequitur Volpi *Resol. 79. num. 10. Gobatus tract. 8. num. 910. & 911.* Et ita tenent circa dictam obligationem Parochi, ac docent Suarez in *3. part. tom. 4. d. disp. 44. sect. 3. num. 15. Hurtadus, & præpositus apud Dianam Coordinatum d. tom. 2. tract. 4. resol. 23. nec non Tabiena, Armilla, Amicus, Tannerus, Machachus, & Franciscus de Lugo, quos allegat, & sequitur idem Diana *Coordinatus tom. 3. tract. 1. resol. 60. n. 16. in fin. Gobatus ubi supra, & in d. Theol. Experim. tract. 1. à num. 153. & seqq. Salmanticenses de Sacram. in genere. tract. 7. cap. 5. numer. 8. & ibi Dicastillus, & Palaus, Abelly in medulla Theologica part. 2. tract. 1. cap. 6. sect. 4. in fine; & aliis omnibus ita distinguendo firmat Mastrius d. disp. 6. numer. 144. & 145. & in sua Theol. Moral. d. disp. 22. num. 93. qui deinde respondet omnibus rationibus opinionis affirmativæ, demonstrans ex justitia Parochorum teneri cum suæ vitæ periculo administrare solum Sacramenta necessaria, id est Baptismum, & Pœnitentiam; non autem tantum utilia; nisi quando subditus confiteri non potest, & creditur, solam attritionem habere, ut supra explicatum est, ad hoc, ut per alia Sacramenta sive Eucharistiam, sive Extremam Unctionem ex attritu fiat contritus, & obtineat vitam spiritualem per consecutionem gratiæ, ac remissionem mortalium. Idcirco quando infirmus probabiliter existimatur esse in gratia, non est obligatus Parochus cum periculo vitæ propriæ Extremam Unctionem ministrare; tantò minus si sit necessarius aliis per multis de sua Parochia.**

Doct. Clericali Tom. 1. Liber 1.

Notant tamen DD. quòd in casu necessariæ administrationis Olei Sacri pestis infectis, debet Parochus uti omnibus possibilibus cautelis ad effugiendum contagium de quibus Bissus d. §. 34. Gobatus d. tract. 8. n. 902. & ego disseram inferius in *Decif. LXXIII.* Tandem nec illud est omitendum, quod scribit Gobatus d. tract. 1. num. 143. his verbis: *addit Chapeville cap. 5. qu. 7. Episcopum obligari ex justitia, si desint alii, extreme ungeri agrotum, in eo scilicet casu, in quo Parochus; nam ipse Episcopus est vel maximè Pastor.*

Quòd ad Regulares. Circa administrationem Sacramenti hujus Extremæ Unctionis distinguere oportet tres gradus, scilicet Prælatos circa suos subditos, Deputatos ad danda Sacramenta agrotantibus in Monasterio, & Religiosos quo ad sæculares extra Monasterium infirmos. Dicendum est igitur, quòd Prælati Regulares obligati sunt ex justitia dare Extremam Unctionem vel per se, vel per alios Sacerdotes à se deputandos suis subditis, Tamburin. de Jure Abbatum tom. 2. disp. 7. quest. 7. Lezana tom. 3. Verb. Extrema Unctio n. 4. Pellizzarius in Man. Regul. tom. 1. tract. 3. cap. 6. num. 2. Mastrius d. disp. 6. in 4. sent. num. 139. qui ibidem advertit eandem obligationem incumbere Abbatibus, Guardianis, ac aliis Prælatibus Regularibus erga suos subditos, quam habent Parochi erga suos Parochianos; licet enim ipsi non recipiant stipendium à subditis, prout Parochi, nihilominus dum acceptant prælaturam, constituuntur Pastores omnium degentium in Monasterio, ac conventu, & hi habent jus petendi ab eis hoc Sacramentum, ne sint peioris conditionis quàm sæculares, ac laici; nam præstant iisdem Prælatibus stipendia obsequii, obedientiæ, ac reverentiæ, quæ sunt altioris ordinis stipendiis pecuniarum; propterea, si Prælati prædicti in hoc deficerent, peccarent mortaliter; sunt enim strictissime obligati, ut dictum est, ex justitia ad ministrandum hoc Sacramentum suis subditis aut per se, vel per alios, etiam tempore pestis, & cum propriæ vitæ periculo in illis casibus, in quibus tenetur Parochus ipse, vel Episcopus, ut mox fuit supra explicatum. Idem docet Suarez d. disp. 44. sect. 3. & Gobatus in Theol. Exper. tract. 1. num. 137. 138. & 139.

Quòd si sermo versetur circa Regulares deputatos ad hoc Sacramentum ministrandum agrotantibus in Monasterio; certum est ab eis esse dandum omnibus religiosis professis, ac Novitiis, nec non Oblatis, & aliis habitum religiosum ibi deferentibus. Ulterius possunt illud dare: Primò familiaribus suis sæcularibus, id est servitoribus, non solum servientibus toti Monasterio in communi, sed etiam alicui Prælato, Monacho, aut Religioso in particulari; tam si habitent continuo intra septa Monasterii, quam si soliti sint extra illud in domo propria pernoctare, casu quo corripantur lethali ægitudine in ipso Monasterio. Tamburin. d. tom. 2. disp. 7. quest. 3. n. 9. Gobatus in Theol. Exper. d. tract. 8. num. 862. 863. & Bissus tom. 2. Verb. Minister Sacramentor. §. 29. qui idem affirmat de laicis servientibus in prædiis, & grangiis eorundem Regularium. Secundò commensalibus, id est illis, qui amicitia causa per aliquot dies commorantes in Monasterio, ibi infirmantur; vel ad exercitia spiritualia peragenda; aut ad aliquod negotium discutiendum. Gobatus d. tract. 8. numer. 864. & 865. Suarez. tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 9. cap. 4. num. 16. Pellizzarius in Manuali Prælator. tom. 2. tract. 8. cap. 3. num. 326. ubi loquitur de omnibus Hospitibus.

Hospitibus, Quintanadvenas in *Singular. tract. 5. Singular. 4. num. 5.* Tertio mercenariis, & operariis conviventibus in claustris eorumdem Religioforum, si forte in eis gravi infirmitate decumbant; quorum hominum laicorum diversa ubique genera in omnibus Regularibus domibus occupantur, pro custodiendo tritico, reparandis doliis, componendis pharmacis, & his similibus laboriosis operibus, vel industriosis artificibus, prout hisce temporibus experimur in Illustrissimo Cœnobio S. Justinae hujus Civitatis, quo Abbas, & Monachi Casinenses austruunt Nobilissimum, & verè Regium Bibliophylacium, circa quod insudant tribus ab hinc annis non pauci fabrilignarii, pluteos ex lignis pretiosissimis, librorumque receptacula affabrè cum columnis, & cochleis erigentes. Quarto regulares dant Extremam Unctionem Tertiariis moribundis, deferentibus habitum eorum Religionis, dummodo habitent in conventu, emissis votis saltem simplicibus paupertatis, castitatis ac obedientiae; non etiam si degant in propriis Domibus laicalibus, vel in Eremitoriis separatis; hi enim quò ad Sacramenta tempore mortis recurrere debent ad proprios Parochos, prout docui de penitentia decif. 39. num. 24. & idem dicendum est de Mulieribus Tertiariis, vulgò *Pizzochere*; quæ censentur subjectæ suis Parochis live vivant in domibus consanguineorum, sive collegialiter absque clausura (qui est abusus maximus) ut ostendi in eodem tractatu de Penitentia Decif. 40. per totam. Pellizzarius d. tract. 8. cap. 3. num. 327. Rodriguez. *Q. Q. Regul. tom. 1. qu. 56. artic. 10.* & in puncto Diana part. 6. tract. 8. resol. 30. quæ nunc posita est in opere ejus Coordinato tom. 7. tract. 1. resol. 351. ubi ponit per extensum Epistolam S. Congregationis ad Episcopum Mutinæ diei 17. Junii 1639. in qua inter cætera scribitur ad eundem Episcopum ita: *Questimie Eminentissimi Signori &c. quando al secondo articolo della Tertiaria sono stati similmente di parere, non haver potuto li Frati del Convento sudetto, in vigore di qualsivoglia Privilegio dell' Ordine loro, amministrarle i Sacramenti della Communione per Viatico, & Estrema Unctioe, nè meno andare à levare il cadavere di casa processionalmente, senza intervento, ò licenza del proprio Parocho, essendo queste funzioni proprie de' Curati.* Quintò tandem dubitari potest, an Regulares prædentes Seminariis, vel Collegiis studentium erectis extræ eorum cœnobis, possint dare Extremam Unctionem, simulque Sacrum Viaticum iisdem studentibus Laicis, ac famulis Laicis pariter ibi inservientibus, casu quo agrotent ad mortem? Casus iste frequēs esse potest, si vel RR. PP. de Somasca, vel Societatis Jesu ponantur ad regimen, & instructionem vel Seminarii Episcopalis, vel juvenum nobilium in aliqua particulari domo; prout jam nonnullis ab hinc annis servabatur Tarvisii. Eminentiss. Cardin. de Lugo in *Responsis Moral. lib. 4. dub. 33.* ita distinguit: Vel Regulares ipsi conducunt eam domum, in qua recipiunt juvenes ad studendum, & convivendum; vel è contra domus conducta est ab Episcopo, vel à Decurionibus Civitatis, aut à quocunque alio pro edocendis, & bene educandis juvenibus, & ad eos edocendos, ac bene educandos assumuntur Regulares. Primo casu potuerunt Regulares ministrare Sacrum Viaticum, & Unctionem Extremam graviter decumbentibus in illa domo, absque alicujus Parochi licentia, virtute Privilegiorum, quæ ibi à prædicto Eminentissimo Lugone enumerantur; & ratio est, quia

ipsi Regulares sunt domini principales domus illius; studentes autem, & conviventes sunt eorum commensales, & hospites. At in secundo casu minime poterunt; nam è contra ipsi Regulares sunt simplices convictores, & famulantes iisdem studentibus in bona morum, ac litterarum instructione, & hujusmodi sunt, (ut ait idem Emin. Auctor) PP. Societatis Jesu, qui Romæ prædident Collegiis, ac Seminariis Germanico, Angelico, Scotico, Maronitarum, & consimilibus; nullam enim in eis exercent Jurisdictionem spirituales, neque faciunt officia Parochialia, ut latissime in dicto dub. 33.

Quòd si loquamur de Regularibus pro danda Unctione Extrema secularibus ægrotantibus in quacunque parte Civitatis in propriis eorù ægrotantium domibus; concors est omnium scribentium doctrina, quòd absque licentia vel Episcopi vel Parochi, non possunt Regulares offo de ægrotos extreme ungerere; & si hoc facere præsumerent, incurrerent in excommunicationem contra eos latam in *Clem. 1. de Privilegiis*; quæ est Papæ reservata. Porro omnes DD. concedunt, licitè à Regularibus ungi Oleo Sacro quòsunque graviter decumbentes in casu necessitatis, quæ talis censetur, si parochus sit absens, vel irrationabiliter recuset ungerere infirmum Parochianum suum, Ita Peyrinus in *commentar. ad Const. 21. Leonis X. num. 15.* Busembaum *lib. 6. tract. 5. cap. 1.* Quintanadven. *tom. 1. tract. 5. Singular. 3. num. 7.* Billus d. *Verb. Minister Sacramentorum. §. 27.* Volpi d. *resolut. 78. num. 5. & 6.* Lezana in *Summa tom. 1. cap. 21. num. 10.* nec non *tom. 3. Verb. Extrema Unctio num. 1.* Salmanticenses d. *tract. 7. de Sacramentis cap. 5. num. 4. & 5.* Et Diana Coordinatus alios Theologos sic docentes cumulans, *tom. 2. tract. 4. resol. 29.* quæ in veteri opere jacet in *part. 5. tract. 3. resol. 82.* Ratio illa est, quia præsumitur tacita licentia Summi Pontificis, ac etiam Episcopi in prædictis casibus, cum eorum mens, & intentio sit, ut fideles recipiant opportuno tempore Sacramenta à Christo Domino instituta tuta pro ipsorum fidelium spirituali salute; & quando agitur de aliquo bono opere licitè faciendo, in quo non est necessaria Jurisdictio, sufficit præsumptus consensus Superiorum. Utrum autem teneantur Regulares cum periculo propriæ vitæ præstare alicui moribundo seculari extra claustra degenti Unctionem Extremam; patebit ex dicendis in Decisione sequenti.

DECISIO LXXII.

ARGUMENTUM.

Demonstratur, quando simplices Sacerdotes licitè possint ministrare Extremam Unctionem; & quòd ad eam dantam prohibiti sunt Sacerdotes Excommunicati publice denunciati, & ab officio suspensi. Examinatur ardua Quæstio, An simplices Sacerdotes, absente Parocho, obligati sint sub mortali, cum periculo propriæ vitæ, inungere infirmum Oleo Sancto? Explicatur præceptum Charitatis, & Ordo servandus in diligendo proximo, ac deciditur Quæstio affirmativè cum conditionibus, de quibus in ca. Refellitur opinio contraria Joannis Sanchez, & P. Thomæ Tamburini; eorumque

sinistra